Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift



potuit ut facie eorum nequaquam uidere propter horrorem tenebrarum. sicut nec sanctorum angelorum propter nimie
tatem bellicantes. Sicut uero demonia ignitas sagittas iactabant contra illos, sic
angelico scuto omnia tela nequissimi extinguebantur. Astabant aduersarii ante conspec-
tum pugnantis angeli, qui quasi ratiocinando dixit. Noluit ardare in eternum, quia hic
homo particeps perdicionis uere sit. Contra dicente aduersario ac blasphemante in-
iustum esse hominem peccatoribus consencientem nichil dampnationis habere cum scrip-
tum sit, non solum qui faciunt sed qui consenciunt facientibus digni sunt morte. Pugnan-
te uero angelo existimabat uir sanctus clamorem pugne et uociferancium demoniorum in omnem
terram audiri. Cumque uictus sathanas sicut contriti colubri caput reuelasset uenenosum
dixit. Ociosos sermones sepe protulit, nec debere eum illesum uita perfrui eterna. Sanctus angelus
dixit. Nisi principalia protuleris crimina, propter minima non peribit. Accusator antiquus
dixit. Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec pater uester et cetera. Sanctus angelus respondit. Ubi
se uindicauit, uel cui iniuriam fecit. Diabolus dixit. Non est scriptum si non uindicaueritis,
sed si non dimiseritis de cordibus uestris. Dixit angelus domini. Iudicemur ante dominum. Victus inimicus
iterum restaurauit uenena dicens. Si iustus deus, hic homo non intrabit in regnum celorum.
scriptum est enim. Nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli et reliqua. Hoc uerbum mi-
nime impleuit. Sanctus angelus excusans dixit. Indulgentiam in corde habuit, sed consuetu-
dine humana contraxit. Diabolus respondit. Sicut accepit malum ex consuetudine, ita
accipiat uindictam a superno iudice. Sanctus angelus dixit. Iudicemur ante dominum. Preliante sancto
angelo, contriti sunt aduersarii. Tunc sanctus angelus qui a dextris eius erat dixit. Respice in mun-
dum. Tunc uir sanctus respexit et uidit uallem tenebrosam sub se in imo positam et uidit quatuor ignes
ibidem in aere, aliquibus spatiis a se distantibus. Dixit rursum sanctus angelus. Quid sunt
hi ignes? Uir domini se nescire respondit. Cui sanctus angelus dixit. Hii sunt quatuor ignes qui
mundum succendunt. Postquam enim in baptismo omnia peccata dimissa sunt, per con-
fessionem et abrenunciacionem diaboli et operum eius et pompe et mencientes ea que pro-
miserunt accendunt ignem mendacii. Alter uero ignis cupiditas est, qui de mendacio
incenditur promissionis et scilicet abrenunciacionis. Tercius uero ignis deseuior est, qui
de cupiditate nascitur, impietas, fraus, postquam infirmi sine miseratione expoli-
antur, contenciones, inuidie, et his similia unusquisque ignem accendit alium qui per
augmentum malorum peccata ex culpis crescunt. Ignes uero crescentes in maius
effecti sunt, unus et illi appropinquabat. Timensque ignem minacem, sancto angelo secum
loquenti ait. Ignis michi appropinquat. Cui angelus respondit. Quod non incendisti non arde-
bit in te. Licet enim terribilis et grandis iste ignis tamen secundum merita operum singulos
examinat, quia uniuscuiusque cupiditas in isto igne ardebit. sicut corpus ardet per illicitam
uoluntatem, ita et anima ardebit per debitam penam. Tunc uidit sanctum angelum se precedentem
ignem flamme diuidere in duos muros utroque latere, et duo sancti angeli utroque latere
ab igne defendebant eum. Uidit quoque demonia inmunda per ignem uolancia bellum
horribile in medio ignis construencia. Et dixit unus ex illis. Seruus qui scit uolunta-
tem domini sui et non facit, plagis uapulabit multis. Sanctus angelus respondit. Quid enim iste de uoluntate